



Doctrinae & Loci.

Locus Primus,

§. 41. Sion non tantum caeli, sed & Ecclesiae imago est, imò saepe in scriptura sacra Sion disertè Ecclesia vocatur: Ex Sione igitur salus & extra Sion sive Ecclesiam, nulla est expectanda salus: nulla veritatis cognitio, juxta dicta scripturae Ioel. 2. v. 32. Esa. 37. v. 3. Cum autem Dominus usq; ad seculi consumationem credentes salvare constituit, 1. Tim. 2. v. 4. 2. Pet. 3. v. 9. Ezech. 18. v. 32. Utiq; vult Ecclesiam tamdiu in terris extare; quod ipsum promisit, Matt. 16. v. 18. & cap. 28. v. 20. Et si caput semper erit, utique corpus tamdiu subsistet: At caput est, Col. 1. v. 18. Ephes. 1. v. 22. 23. & 5. v. 23. & semper existet, Hebr. 13. v. 8. Ergo & Ecclesia, ergo in ea salus cum Davide semper quaerenda, speranda, invenienda, donec erit mundus, sidera donec erunt.

Locus secundus.

§. 42. De voto & desiderio piorum. Quemadmodum ante Christi incarnationem omnium vota in ejus adventum adspiciebant, puta Eva Gen. 4. v. 2. Abrahami Ioh. 8. v. 56. Jacobi Gen. 49. v. 30. populi Israelitici, hic & passim: Regum & Prophetarum, Luc. 10. v. 24. ita par est, ut nunc aspiciant in adventum secundum, quod monet Augustinus super Psalm. 118. concion. 10. ut gemant liberationem Rom. 8. v. 22. expectent beatam spem Tit. 2. v. 12. repositam coronam 2. Tim. 4. v. 8. clament: Veni Domine IESU etiam veni Apocal. 22. v. 21. Desidero te millies, mi IESU, quando venies? Bernh. Quando autem reverteris Domine, nisi in die judicii, Nam